

Petrus de Vinea

*Ep. II 53 (Ad reserandam
uobis strictae obsidionis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 53 (Ad reserandam
uobis strictae obsidionis...)*

autunno 1243, Viterbo

Comes Symon, obsessus in castro Viterbii, consiliariis comitis Casertani, pro subsidio suo.

1. Ad reserandam uobis strictae obsidionis seriem et naturam ac impugnationis hostilis instantiam, famis et sitis penurias, necessitatum multiplicium, quas patimur et passi sumus miserias et pressuras, scribere nostri calami diutius laborarunt, quod iam pergamenum et atramentum deficeret, et utinam quod tanta instantia profuisset. 2. Sed totiens, proh dolor!, uenerunt incassum, quotiens fuerunt litterae destinatae, quia nec dominum Casertanum, nec uos ad succurrendum nobis cura sollicitat, ut uidemus, sed comedentes panem in saturitate et super ollas carniū residentes, solatiis intenditis et quieti, et utinam quod pleno stomacho de nostris ieiuniis pensaretis. 3. Excusatis autem uos, quod uicinum aduentum principis expectatis, ut nobis habundantius et tutius succurratis, uestris uiribus iunctis suis. 4. Sed timemus, ne illius uulgaris prouerbii locus adueniat, et utinam non supersit!: «Dum herba crescit equus moritur, et dum fugans canis mingit, fugiens lupus uadit». 5. Dolemus autem de prefato domino comite, sed de uobis non minus, qui ad consilium eius estis, quod ea quae ad Imperii spectant honorem, sibi non suggeritis ut debetis. 6. Ad quid ergo uenistis, si non succurritis prouinciae atque nobis etiam qui perimus? Laudabilius fuisset uobis in Apulia, quam in Tuscia ducere in solatio dies uestros. 7. Sola enim ante aduentum uestrum ciuitas Viterbiensis fuerat ab imperiali fide subuersa, sed, postquam uenistis, uersa est pars maxima regionis: dudum etenim homines de uestro succursu spem et fiduciam habuerunt, et steterunt in fide, sed postquam uiderunt uos desides, discedentes

et patientes, ac uires uestras ad eorum auxilium non extendere quas habetis, a fide protinus recesserunt. 8. O, quam uobis et nobis pro uobis dolendum est, quod pusillanimitas sacerdotum tantas uires uestras sine prelio sic eneruat! Sane honorem imperialem et gloriam uestri nominis minoratis, quia dum uix ducentos milites tales, quales habeat cardinalis, uos cum mille quingentorum militum comitiua ei non resistitis prouinciam occupanti, nec nobis, ad quorum confusionem intendit, succurrere festinatis. 9. Quod, si uobis de prouincia non est cura, de nobis tamen curare debetis, quia caro de carne uestra et os de ossibus uestris sumus. 10. Numquid nescitis, quod propter uias subterraneas, quas fecerunt rebelles, maior pars castris Viterbii de hora in horam ruitura speratur, et nos ex hoc inspicimus loci posse accidere captionem? Numquid nostram penuriam ignoratis: cunctis enim et comestibilibus iam consumptis, muli et equi clauas sentiunt propter escas? 11. Numquid non scripsimus, quod aqua fontium suis meatibus nobis est extorta, nobis tantum tres putei remanserunt in castro, prebentes aquam hominibus et iumentis, et unus ex eis per scissuras absconditas a rebellibus est infectus? 12. Numquid notum non fecimus uobis, quod non solum uiri, sed etiam dominae castris hiis diebus et noctibus non quiescent, insultibus et impugnationibus hostium lacescite? 13. Verum, quamquam ad inuocandum uestrum auxilium et succursum multas uacuas preces fuderimus et fundamus. 14. Ad nostram tamen excusationem, uos adhuc uice ista ex imperiali parte instantissime requirimus, sub fide et sacramento, quo imperiali coronae tenemini, quatenus, uisis litteris, dictum dominum comitem adeatis, omnimode inducentes eundem, ut nulla mora protracta, nec alio consilio postulato, ad nostrum

succursum uestris et aliis ac suis uiribus se accingat, et ne ad tantum opprobrium pereamus, statim post intellectum tenorem presentium signa moueri et gentem faciat subsequenter, ut hodie ante castrum imperiales aquilas uideamus, scituri, quod si secus comes et uos duxeritis faciendum, nos Dei et hominum testimonium inuocamus, quod in nobis culpa non est, sed ex uestra desidia et neglectu imperialis diadematis honor perit. 15. Quia nos ultra non possumus, nouit Deus.